

h. 70, 23.

ENUMERATIO

X 200 5187

OMNIVM PERSONARUM  
ILLUSTRIUM FRI-



BERGÆ IN SACELLO ILLUSTRIS  
ad templum Cathedrale sepultarum,

Ut pote

ILLUSTRISS: TRIUM ELECTO-  
RUM, ET RELIQVORUM PRIN-  
cipum ac Ducum Saxoniae, cum Illustrib:  
Principissis & Liberis:

Ab Illustris: Principe ac Domino, Domino  
*HEINRICO, qui cum Coniuge seren: CATHARINA,*  
Primus defuncta membra in hoc Sacellum deponi cu-  
ravit, Anno 1541. Mense Augusto, Quem secuta  
sunt habita ibidem Sepultura Personae Illustres  
numero nunc XXII, per annos LXV.

Oblata in obitum luctuosiss: Illustrissimae & pientiss:  
Principissae ac Dominae, Dominae

*SIBYLLÆ ELISABETHÆ,*

Illustrissimi & generosiss: Principis  
ac Domini, Domini

*JOANNIS GEORGII,*

Ducis Saxoniae, Landgravij Thuringiae, & Marchionis  
Misniae, &c. quondam dilectiss: Coniugis, Quae vera in  
Christum fide animam exhalavit Dresdae 20. Ianuarij,  
hora 2. Pomeridiana, Corpore xxv. Februarij  
Fribergae in Sacello Illustri, terrae man-  
dato, Anno Christi, 1606.

*Scripta, à Georgio Agricola, Verbi divini apud  
Fribergenses Communiistro.*





AD ILLUSTRISSIMUM ET  
GENEROSISS: PRINCI-  
pem ac Dominum,

DN: JOANNEM GEORGIUM,  
Ducem Saxoniae, Landgravium Thuringiae,  
Marchionem Misniae, &c. Dominum  
suum clementissimum.

Saxonicae Stirpis decus, o Dux, IANE  
GEORGI,

*Et patrij, Illustris Gloria, Spesq; soli,  
Mirabar nuper, tota regione boatum,  
Mota sub aerijs turribus æra dare,  
Et triplici hic pulsu Campanas, quinq; sonare,  
Templa per, ut totidem nostra FRIBERGA capit.  
Mox celeri & certo venit ad Nos fama relatu:  
(Credideram veram quam prius esse minus.)  
Occidit ELISABETH, prænومine dicta STBILLA,  
VVirtembergiacæ pulchra corona domus.  
Occidit Illustris JANI flos Corq; GEORGI,  
Cujus ad occasum Misnidos ora dolet.  
Ingemui rumore, mihi faciemq; rigavit  
Ora per, ad plantas humida gutta cadens.  
Hac compellandi te, nunc occasio tristis  
Offert sed invito, Dux generose, mihi,  
Exequiæ dum lugubres & Justa parantur  
Huic, tempus tibi quæ juncta breve ante fuit.*

Ah

Ab nimium ante tibi tempus breve juncta, dolendo  
Disjuncta abscessu, quam citò nulla subest?  
Sors eadem multos nolentes aspera necit,  
Una saepe simul cogit & esse domo:  
Ast alios, cupidosq; sui, seq; inter amantes  
Separat, objecta morte, alijsvè malis.  
Nil habet hic Mundus constans, medio inq; lepore  
Verborum haud rarò tristis amaror adest.  
Vita fugit, velut umbra levis: ualdeq; videtur  
Cum stabilis, stabilis nil habet illa tamen,  
Ceu tenuis fili est facilis ruptura trabendo  
Si nimium astringit Textor id inter opus:  
Sic Homini cursum rumpunt, turba invida Parca,  
Quae nulli ut parcant, nomina vera gerunt.  
Frangitur hæc fragili Natura simillima vitro,  
Ac instar bullæ, se, pereuntis habet.  
Mors Sceptrum Ducibus, Diademaq; Regibus aufert  
Imos cum summis sorte rapitq; pari,  
Inclyte Dux, hinc te juvat indulgere dolori,  
Dum non vivit adhuc, vivere digna diu,  
Hinc tua tota domus fletu est & plena querelis,  
Nilq; magis, gratum quod fuit ante juvat.  
Sed quia sic voluit, cui subdita cuncta, Supremus,  
In cujus Dextra est Vitaq; Morsq; Pater:  
Vince animum, luctum moderare, repelle dolorem,  
Inter & hæc aliquod damna μάλαγμα cape.  
Arripe Divini solatia dulcia Verbi,  
Spem bene defunctis dantia magnificam.

Ccu

Ceu Domino placuit, factum est, fit, fiet: ab illo  
Quod factum est, factum est ò bene, fitq; bene.  
Ad nunc Defunctæ dantur quoniam ultimi Honores,  
Hic ubi sunt Matri Templâ dicata Dei,  
Et memini (dum me vidit Friberga Ministrum  
Annos viginti nunc numero, octo supra)  
Huc aliquot Dresda Prælustria funera vecta,  
Ac illis pompa Justa soluta gravi:  
Institui, cunctos Proceres ab origine prima  
Saxonica, quot in hac Mors habet urbe, domus,  
Enumerando brevi percurrere Carmine: raptum  
Ordine queng; suo, Tempore queng; suo.  
Maluerim hunc ò in causa meliore laborem  
Ponere, Dux, & sit quæ tibi læta magis.  
Temporis at quoniam est hæc circumstantia, parère  
Huic decet, & tristi scribere mæsta die.  
Maluerim culta Heroum monumenta Poesi  
Percensere, metros atq; crepare graves,  
At versus spacio Natura coërcuit arcto  
Me miserum, ut vena pauperiore fluat,  
Ergo notare stylo volui quos simplice, proq;  
Ingenij captu, quos mihi Musa tulit:  
Hos placidos Obitus, tibi, Dux ò Celse, tuorum  
Offero, pacatus suscipiasq; precor.  
Qui dat, quæ potuit dare munera, gratus & ille est,  
Et pietas animi jure probata placet.  
Vilia sint quamvis hæc, at quoq; Rector Olympi  
Pauperis Agricola munera parva probat.

Versus  
hymperme

Cum Portam incolem Ludī praeclūstris Alumnus,  
Meq̄ suo caperet Lipsia docta sinu,  
Sustentatus Avi stipe sum clemente, beati  
Augusti, qui nunc est supra astra, tui.  
Nec potui Augusto Magno benefacta referre  
Atq̄ ea vix unquam posse referre scio.  
Ut tamen ex aliqua, Fano, vel parte, Nepoti  
A me grati animi sint documenta modo,  
Offero conatum saltem, mentemq̄ paratam  
Officio: In magnis & voluisse sat est.  
Albis ad undenos fontes prius ipse recurret,  
Quam meritis non sit gratia summa pijs.  
Jam, Dux Celse, Vale, Vita, Uxoriq̄ beatæ  
Quam Mors abripuit, sit spaciōsa tibi.

Illustris: Celsit. T.

Subject: Servus

Georg Agricola.



Enume-

Enumeratio Personarum Illustrium **XXII.**

ex domo Saxonica, quæ huc, quod mortale habuerunt, humandum deposuerunt, inter quas  
Illustrissimi Electores Tres  
recensentur.

Prima Persona Illustris hic sepulta,  
Anno 1541. 18. Augusti.

Anno  
1541.

**F**ilius Alberti, Ernesto cum Fratre dolosè  
Ablati à Kauffung, furta patrante Ducum,  
Heinricus Princeps, Primus tumulatur in Urbe  
Friberga, à Reliquis & fieri optat idem.  
Causam aliquis cupiens hujus novisse, Manentem  
Assidue Sedem Hunc hic habuisse, sciat.  
Inde suæ plebis sibi conciliavit amorem,  
Dulcibus assuetus Civibus atq; loco.  
Causam aliam memorant alij, quæ cognita paucis,  
At mihi nota, isto non referenda loco.  
Hic adolescentes annos egressus (Ut illo  
Tempore Papatus regna tenebat adhuc)  
Sponte Palestinas terras intravit ut Hospes  
Ignotus, proceres associando sibi.  
Compostellanum semel invisitq; **JACOBUM,**  
Illius ante aras aurea dona ferens.  
Hos Aurèos Centum, dixit, tibi **DIVE JACOBE**  
Quem propter me istam juvit iniisse viam,  
Offero, ne vacuus Simulachri ad fana venirem,  
(Dextra Aurèos Centum continuitq; manu)

Sin

*Sin rapuisse tibi finis à Nebulonibus istos,  
Nil refert mea, nec culpa erit ulla mihi.  
Dogmata pontificum perstringere Scommate tali,  
Et sordere sibi, significare volens.  
Paulo post, etas cum jam maturior esset,  
Et regeret Celsum gratia dia Virum,  
Lux EVANGELII irradiat penetralia Cordis,  
Illiq; in tota dat ditioe locum.*

*Post obitum Fratris, cui Misna tumba, Georgii  
Hic potiebatur, cum Regione, bonis.*

*Ætate octo annos & Sexaginta peregit,  
Æternos modo agit stellimicante polo,*

Anno  
1546.

**Secunda Persona Illustris Anno 1546.**  
die Lunæ, post Iudica.

**M** *AURITII Herois Magni, de Coniuge Primus  
Filius ALBERTUS, morte Sepulchra subit.  
Hebdomadas fuit Huic Vix Vita Novemq; Decemq;  
Atq; duos, plures digno habuisse, Dies.*

Anno  
1550.

**Tertia Illustris Persona Anno**  
1550. 12. Novemb:

**P** *Rimigenus Ducis AUGUSTI, dictusq; JOANNES  
HEINRICUS sequitur proximioe loco.  
Vixerat hebdomadas, lumen solare videndo  
Viginti Septem, Quinq; simulq; Dies.*

Anno  
1553.

**Quarta Persona Illustris Anno**  
1553. 24. April:

**P** *Rimigena AUGUSTI Ducis Hunc LEONORA se-  
Filia: ceu Frater, Morte reposta solo. (cuta est  
Vita*



Vita illi fuerat, donec Duodena peregit  
Sol signa, & medium rursus haberet iter.

Quinta Persona Illustris & Electoralis,

Anno 1553. 11. Julij.

Anno

1553

QVo de Magnanimo non conquerar ore, Sacellum,  
MAURITIO, Hoc qui jam post sua fata tenet?

Filius Heinrici Ducis Hic praconia post se,

Laudibus aeternis, liquit, ad astra volans,

Turcarum terror, qui debellare rebelles

Norat, in armatos sumereq; arma Viros,

Qui si non animo tanto cecidisset in hostes,

Non illi à letho gloria tanta foret.

Inde levi, Heroi est, de Marmore condita tumba,

Mausolei instar magnificum artis opus.

Sæpe quod externis veniens miratur ab oris

Hospes, & huic similem vix tumulum esse negat.

Vexilla hic videas ex Hoste relata fugato,

Quorum aliqua & fuso sanguine tincta madent.

Dux armis ipse indutus, quibus usus in hostes,

Ceu Cataphractus ibi conspiciendus adest.

At sic ceu nunquam rides Fortuna serenè,

Ut non sis torvis sæpe supercilijs:

Sic quoq; MAURITIUM Victorem, interq; Trium-

Letantem, luscè, valde inimica, vides, (phos

Et facis, ut globulo trajectus in ilia ferri,

Quem misit technis insidiosa manus,

Acciperet vulnus lethale, ut fufus ista

Ex Tabulis, ejus dant Monumenta, suis.

B

Occidit

Occidit ut triginta Annos binosq̄ peregit,  
Terq̄ suam absolvit menstrua Luna viam.

In commendationem Illustris: Principis  
MAURITII Ducis Saxoniae, & Electoris, Defen-  
soris patriæ, inclyti victoris, alius quidam Poëta  
id composuit quod sequitur:

**M**agnanimi busto MAURITII Principis isto,  
De Septem sita sunt unius ossa viris.

Subq̄ hoc depositum requiescit Marmore Corpus,  
Invictiq̄ solo condita membra Ducis.

Qui vestigia Majorum per avita Suorum  
Virtutis gradiens & pietatis iter:

Ipsè sibi pulchræ peperit nova nomina laudis,  
Et studuit proprium conciliare decus.

Ergo hoc non alius magis excelsò tulit ullus  
Afflictis Patriæ pectore rebus opem.

Adversatorem metuit vis impia solum,  
Inceptis metuit fraus violenta suis.

Præsidio fuit Hic Populis Germanidos oræ,  
Et quasi Teutonice firma Columna domus.

Terror ab hoc etiam Turcis est additus. Illum  
Externi solum pertimèere Ducem.

Nunc, dum conatur Patriæ succurrere fessæ,  
Et contra hostilem vim parat auxilium:

Ipsè cavet minus incerto se credere Marti,  
Heu dolor, accepto vulnere, lesus obit.

Victor obit pulsus & stratis hostibus, atq̄  
Heu rursus dolor, in castra reversus obit.

Sed tua

Sed tua MAURITI clari decora alta Triumphi,  
Laudis & extinguet nomina, nulla dies,  
Perpetuò vives: Nam nescit funera virtus,  
Nec pereunt fortis strenua facta manus.  
Æternum vives, terræ Germanidos Heros,  
Juncta recens stirpi gloria Saxonica.  
Inq; tuus Christo post multa pericla laborum,  
Spiritus, ætheriæ dona quietis habet.  
Cui tua relligiosa fides te tradidit, adq;  
Conversa illius Numina sancta preces.  
Magne vale, Patriæ decus, & protectio, Princeps,  
Et reliqua accisis rebus adempta salus.  
Splendida te celebrat Studiorum fama bonorum,  
Et tacet ingenuæ Musicus artis honor.  
Et tua fronde tuum cingit Parnasside, semper  
Palladioq; virens germine Ruta caput:  
Te locus atq; etas nunc admirabitur omnis,  
Candidus & titulos rumor ubiq; vebet.  
Illustrissime salve Heros, salve optime Princeps,  
Invictè o salve Dux, Patriæq; Pater.  
O salve atq; vale, Te nunc laudabit & hostis,  
Et mala felicem deseret invidia.

Illustris Persona Sexta, Anno 1557.

21. Novemb:

**F**ilius AUGUSTI genituræ ex ordine Quartus,  
Discessit, nomen cui JOACHIMUS erat.

B 2

Attigit

Anno  
1557.

*Attigit hebdomadas, lumen caeleste tuendo,  
Octo & viginti, Sex pariterq; Dies.*

Anno  
1558.

Persona Illustris Septima, Anno

1558. 4. April:

**N**omine Magnifico se jactans HECTORIS inde  
Filius AUGUSTI Quintus ab orbe volat.  
Vita per Huic Annum & viginti quinq; manebat  
Hebdomadas, quinos adijciendo dies.

Anno  
1558.

Illustris Persona Octava, Anno

1558. 6. Novemb:

**C**orpore mox parvus sed MAGNUS nomine eo-  
Anno immatura Morte peremptus obit. (dem  
Tertius AUGUSTI Gnatus, cum Tertius annus  
Ætatis, Mensis Sextus & esset ei.

Anno  
1561.

Persona Illustris Nona, Anno 1561. 1. Junij.

**O**rdine nunc KATHARINA subit, vitalia lin-  
Lumina, sed cœli Lumina clara petens. (quens  
Mechalopurgensis Ducis hæc est Filia Magni,  
Ac olim HEINRICI Chara Marita Ducis.  
Dotibus Heroïna animi prælustribus aucta,  
Nec non corporeis conspicienda bonis.  
Matronis Speculum Magnis venerabile Morum,  
Mater blanda suis, prolis amansq; fuit.  
Cum misereretur facile & Turbæ illa misellæ,  
Istam munifica sæpe levavit ope.  
Quodq; imitabilium Virtutum Summa Caputq; est,  
Sincerae fidei perstudiosa fuit.

Facta

*Facta Parens Sobolis Senæ, Pars altera cuius  
Mascula erat, totidem Fæmineiq; chori.  
Exegitq; statum viduum, abscedente Marito  
Annos viginti penè, soluta nece.*

*Relligionis erat purgata viva, reliquit  
Inq; repurgata Relligione Diem.*

**Persona Decima Illustris, Anno 1565. 2. Iulij.**

**V**iderat hanc Lucem Spacium Semestre, recedit  
Quando iterum Terris, surripiente nece,  
Filiola AUGUSTI, cui nomen AMALIA, Quinta,  
Et reliquas passu non remorante petit,

**Persona Vndecima Illustris, Anno  
1566. 6. Ianuarij.**

**C**hristigenæ Matris cui nomen, Tertia Gnata,  
AUGUSTI gelida Morte premente cadit,  
Quatuor Annorum spacio fuit illa superstes,  
Rapta, ubi Lux Jani Sexta revisit humum.

**Duodecima Illustris Persona, Anno  
1566. 15. Octob:**

**H**ic & ALEXANDER cadit, ò AUGUSTE Se-  
Ult tua, sic Soboles intime amata tibi. (cunda  
Heu quantam casus tulit iste utriq; Parenti  
Mestitiam, Vulnus quamq; habuère grave.  
Excultus fuerat studijs præclarus, ac per  
Ætatem teneram posset id esse suam.

Namq; Annum Vndecimum exierat, sub Menseq;  
Jam stabat vivens, quindecimoq; die, (Nono

**B 3**

**Tuum**

**Anno**

**1565**

**Anno**

**1566**

**Anno**

**1566**

*Tum Morbo Oetidui rapit inclementia Mortis  
Et Patri & Matri Spemq; Decusq; rapit.*

*In ejusdem obitum scripsit hoc Epita-  
phium divinus Ioachim: Ca-  
merarius.*

*D**esieras puer esse modò Illustrissime Princeps,  
Jamq; adolescentis conditionis eras,  
Formosi vitæ jam currere puberis anni,  
Et pulchrum ætatis conspicuum esse decus:  
Indolis eximius jam sese ostendere raræ  
Et veræ elucens crescere laudis honor.  
Atq; salutare hoc jam terris sidus oriri,  
Quod spem ferret opis præsidijq; novam,  
Cum te inopinatæ rapuit violentia Mortis,  
Unaq; tam præstans abstulit hora bonum.  
Ac velut irriguis flos nuper letus in hortis  
Et spondens fructus commoda magna sui,  
Emissa gelida ad flatus Aquilonis ab Arcto  
Vota sui frustrans interit Agricola.  
Demittensq; caput moritur, mutatq; colorem,  
Suavis & in ventos deditus exit odor:  
Sic, Princeps, cadis ante tuum, Illustrissime, tempus,  
Fatali subito fila secante manu.  
Ponunturq; extructa tui Monumenta sepulchri,  
Cernere quæ sicco lumine nemo potest.  
Sive tuo ex populo quondam, sive advena & hospes,  
Casus enim cunctos flebilis iste movet.*

*Talia*

Talia saxo insculpta, aut æri incisa legentes,  
Ut sit & hoc seræ posteritatis opus:  
Condit Alexandri hoc Templi sub fornice tellus  
Depositæ teneri corporis exuvias.  
Saxonica inprimis hoc stirpis nobile germen,  
Decussit rapidæ sævæ procella necis.  
Fecit &, ut terra Hunc lugens defleret ademptum,  
Te posthac majus vix habitura decus.  
Aucta sed hoc Socio gavisa est regia cæli,  
Spiritu in æthereas ingrediente domos.  
Quæ si non patuere nisi juvenilibus annis,  
(Ut stant consilijs omnia recta D E I.)  
Felix morte tua defunctus es optime Princeps,  
Jam tranquillo animo speq; metuq; vacans.  
Moleq; curarum liber, neq; turbidus ira,  
Perpetuaq; fruens in requiete D E O.  
Sanctæ vale Princeps, sanè est tua vita beata,  
Jamq; evenerunt gaudia vera tibi.  
At desiderio indulgens, mestoq; dolori  
Ista tibi lachrymis gens tua Justa facit.  
Et memorem grato persolvit pectore luctum,  
Funera flebilibus condecorando modis,  
Sanctæ valeq; iterum, & salve Illustrissime Princeps,  
Et tua tecta solo molliter ossa cubent.  
Tecta solo patrio, Vestraq; in pulvere terræ,  
Sunt ubi percelsæ cætera busta domus,  
Urbe metalliferis quæ circumquaq; Fodinis  
Prædita, gaudet Avo se placuisse tuo.

Hoc

*Hoc satis est, placide tua Princeps ossa quiescunt,  
Et levis abscondit nobile corpus humus,  
Dum qui est largitus renovans hoc vivere rursus,  
Restituendo animi pristina dona, velit,*

Anno  
1570.

Decima Tertia Persona Illustris, Anno  
1570. 12. Februar:

**I**unior Augustus patrio de nomine dictus,  
Septimus ejusdem Filius ecce cadit.  
Hebdomadas octo bis habebant tempora vite  
Illius tantum, tempora pauca nimis.

Anno  
1572.

Persona Illustris Decima Quarta, Anno  
1572. 12. Mart:

**F**ilius Augusti Octavius, cui nomen Adolphus,  
Stulpenæ ut natus, Dresdæ ita morte perit.  
Hebdomadas tantum Triginta & quinque peregit  
Cernendo Solis lumina, Tresque Dies.

Anno  
1575.

Decima Quinta Persona Illustris, Anno  
1575. 2. Januarij.

**O**rdine nunc sequitur moriens Sardoniam certo,  
Nempe Duce Henrico quæ Genitore fata,  
Uxorem hanc Ericus Dux Brunsvicensis habebat,  
Ossaque nunc Tumulus corporis ater habet.  
Quinquaginta Hæc Sex annos ætatis agebat,  
Quadraginta & Tres hebdomadasque simul,  
Leucopetræa capit gelidi cum corporis artus,  
Spiritu in æthereas ingrediente domos.

Persona



Persona Decima Sexta Illustris, Anno

1576. 24. Ianuarij.

Anno

1576.

**N** Ec Ducis Augusti tu Fili None carebas  
Discessu, nomen cui FRIDERICUS erat.  
Arx infantiles vagitus audiit Anna,  
Immaturum obitum vidit & illa tuum.  
Hebdomadas tantum Triginta & transigis unam,  
Cum vitæ amittis munera, Tresq; Dies.

Illustris Persona Decima Septima, Anno

1585. 1. Octob;

Anno

1585.

**A** N N A quoq; Illustri Danorum stemmate Re-  
Edita, desivit mortua luce frui, (gum  
AUGUSTI Coniunx pia, Saxonieq; Ducissa,  
Qua Matrem amisit Misnidos ora suam.  
Huic Disciplina servata, Dogmate verbi  
Nil erat, & vera Religione prius.  
Heroïna micans virtute, ut Phosphorus, omni,  
Feminei sexus, ANNA, corona decens.  
In Numen Pietas cui quanta, Fidesq; Maritum,  
Quæ cura in Sobolem, Sedulitasq; domum,  
Qualis & in quosvis fuerit largitio egenos  
Ejus, si coner scribere, lassus ero.  
Ter quinam peperit Sobolem, plantaria cœli,  
Quæ Matrem plures anteiere nece.  
Viveret ut moriens sed & ipsa, hoc vixit in orbe  
Ceu moritura, olim sed redivina solo.

C

Quin-

Quinquaginta annos & Tres fuit illa superstes  
His terris, Coelis usq<sup>3</sup> superstes erit.

Anno  
1586.

Illustris Persona Decima Octava & Electo-  
ralis, Anno 1586. 11. Feb:

**E**Xiguo spacio AUGUSTUS praemisera ANNAM,  
Quod nondum Menses quatuor exierat.  
Ipse etiam (luctu res plena) novissima clausit  
Tempora, cum multis questibus: ah ubi ubi es?  
O dilecte DEO Princeps, dum tendis ad astra,  
Das nobis gemitus mestitiamq<sup>3</sup> gravem.  
O verè implesti mensuram nominis, auges  
Consilijs, opibus, dum Fora, Tempa, Scholas.  
AUGUSTO nobis salvo omnia salva fuissent,  
Namq<sup>3</sup> Status sub eo rectus ubiq<sup>3</sup> fuit.  
Ille, DEI metuens, Verbum caeleste fovebat,  
Umbraculum sensit Relligio esse suum.  
Atq<sup>3</sup> ita cognovit vera Hunc Ecclesia asylum,  
Dixerit ut merito Misnica terra Patrem,  
In Ludos quid non meritorum contulit ille?  
Officia in viduas quis numerare queat?  
Justitiae assertor, virtutis amator, honesti  
Tutor, jura suis civibus aequa dedit.  
Ergo licet dudum vitalia lumina clausit,  
Illius at laudes Fama loquetur anus.  
Hunc Heroa canent venturi saepe Nepotes,  
A sera & nomen posteritate feret.

Omnia

*Omnia Mortales cum tandem in Morte relinquunt,  
Non moritur virtus, & pia facta manent.  
Sandapila est clausus, cum bis Trigesimus esset  
Annus ei, aſt Anima eſt incola certa poli.*

**Persona Decima Nona Illustris & Electo-  
ralis, Anno 1591. 25. Septemb:**

Anno  
1591.

**F**Unere ab AUGUSTI fluxit breve tempus, an-  
Sexto Anno nec dum Sol agitabat equos, (belos  
Mox Illuſtre aliud Funus ſubit (ecce duobus  
Quam cito Funeribus Saxoniae aula gemit)  
Filius AUGUSTI CHRISTIANUS nomine, idipſum,  
Tam propera Patrem Morte ſecutus, erat.  
Hic ut erat celsis magnisq; Parentibus ortus,  
Sic Naturae hauſit ſemina certa bonae.  
Hinc Pietatis amans, per ſe Fideiq; probator  
Rectae, quam Magno corde for- bat erat.  
Mendaces odit, dilexit vera loquentes,  
Eſſe jubens à ſe corda ſuperba procul.  
Alter eratq; Cato, rigidi ſervator honeſti,  
Quod vitam & mores attinet, ingenuus.  
Utq; ſeverus erat, cum vellet: ita omnia in illo  
Ridebant, cum ſe lætitiæ dederat.  
Ut breviter dicam: Dux natus ad omnia ſumma,  
Ad mediocre nihil cretus & ille fuit.  
Ingenio quicquid tentavit, & artis honeſtæ,  
Hoc, ſudante alio, continuo arripuit.

C 3

Cumq;

*Cumq; annos Triginta unumq; egisset, eidem  
Electoralis tumba parata fuit.*

**Illustris Persona Vigesima, Anno**

**1586. 24. Martij.**

Anno

1586.

**A** *NNA SABINA Ducis CHRISTIANI Filia, primam  
Quam Coniunx utero chara SOPHIA dedit,  
Nascitur ut Dresda, sic Dresda debita solvit  
Naturæ, Menses vix ubi viva duos.*

**Vigesima prima Persona Illustris Anno**

**1589. 4. Martij.**

Anno

1589.

**F** *iliola ELISABETH CHRISTIANI Tertia, Pa-  
Orbos ac Matrem Morte perempta facit. (trem  
Huic deerant Menses bini, compleret ut annum,  
Nondum unum, lumen dulce videndo poli.*

**Persona Illustris Vigesima Secunda,**

**Anno 1606.**

Anno

1606.

**A** *D te nunc venio, cui Pompa hodierna parata  
Iusta cui hac tristi solvimus ore die, (est,  
ELISABETH, genuit quam VVIRTENBERGICUS  
Heros,*

*Pacificum nomen, Dux FRIDERICUS, habens.  
Qui propter veramq; Fidem, benefactaq; magna  
Est charusq; Deo, suppositisq; sibi.*

Ah

Ab nimium properè tibi raptà est, JANE GEORGI,  
Saxonicae stirpis, Dux Generose, Nepos,  
Conjux ELISABETH, prænominè dicta SIBYLLA,  
Conjugij ingressus vix ubi limen eras.  
Tàm non est Numen rigida exorabile Morti,  
Tàm stricte observat, quem statuitq̃, diem.  
In Superos vanum est stomachari, Justa voluntas  
Est, quamvis nobis sit minus æqua, DEI.  
Est hominum, placito Domini, parère piorum,  
Quod probat ille, & nos usq̃ probare decet.  
Tu confide bene, ò DUX inclyte, namq̃ beato  
Inclyta obit Conjux, decubituq̃ cito.  
Non sentire, sibi charos, vult spicula Mortis:  
Nonq̃ diu in lecto volvere membra, DEUS.  
Utg̃ tuas, ò Dux, pietas probat ipsa querelas,  
Sic & in his ratio suadet habere modum,  
Quin etiam mandant divini oracula verbi,  
Debeat ut lachrymis meta & adesse pijs.  
ELISABETH letho sublata est corpore, in astris  
Parte DEO vivit sed potiore sui,  
Cælestem mentis vigor immigravit in aulam,  
In spe Sanctorum membra sepulta cubant:  
In spe, non eadem æterna quod morte jacebunt,  
Viva sed amissum sunt habitura decus.  
Tunc sub humo quicquid computruit, omne resurget,  
Buccina supremum cum dabit alta sonum.  
O utinam hæc votis Lux sæpe petita piorum,  
Approperet nobis conspicienda brevi.

Tunc iterum fœdus renovabitur illud amoris,  
Dirupit quod Mors jam fera jure suo.  
Mellifluis tunc, JANE, sonis recreaberis ejus,  
Quæ modo de thalamis ad breve tempus abit.  
Interea suavi ut requiescant membra sopore,  
Da DEUS, extremæ lucis ad usq; diem.  
Et vos Angelicæ excubiæ, custodia quîs est  
Sanctorum cinerum credita voce DEI,  
In Tumulo exuvias generosas, quæso, fovete,  
Advigilate velut Depositoq; sacro.  
Illustremq; Animam viventum involvite dulci  
Fasciculo, in Christi ponite eamq; sinu.  
Tempus erit, quando DEUS hæc sua dona reposcet,  
Deq; sua effigie ritè Sequester erit.  
Jamq; vale, multum Dux Inclyte, JANE GEORGI,  
Et mittenda DEO tristia, mitte DEO.  
Sit bene Romano Imperio, Capitiq; RODULPHO,  
Atq; ELECTORI sit bene Saxonix.  
Sit bene Præpositis Aulæ, consultaq; fiant  
Omnia, ut in laudem sint operosa DEI.  
Ut sit ab insidijs, Ecclesia tuta, malorum,  
Et vigeant nostris Jusq; Piumq; locis.  
Sic erit, ut vireat germen prænobile RUTÆ,  
Saxoniciq; ENSES sint in honore suo.  
Vive, vale, Princeps mitissime, Quæq; Sepulchro  
Uxoris do, non respue. Vive, vale.


CON-

CONCLUSIO.

**D**Et DEUS, Illustres hæ vigintiq; Duæq;  
Personæ, quas huc Saxonix aula tulit,  
Sufficiant, & non ullus moriatur, & ulla  
Non moriatur, agens secula multa solo,  
Sin moriatur ( ut hæc Hominum quorum-  
libet est fors )  
Centum alios donet substituendo DEUS.



*F R I B E R G Æ,*  
Georgius Hoffman imprimebat,



4/6

1790

Georgius Hoffmann imprimens  
in moravia (in hunc librum quorum  
Non moravia, sed in terra moravia  
Suffraganeus moraviae & illa  
Petrus Hoffmannus  
D. G. Hoffmannus

Georgius Hoffmann

Georgius Hoffmann

M. D. C. VI

1011

M. C.





h. 70, 25.

ENU  
OMNIVM  
RUM ILL

BERGÆ IN S  
ad templum

ILLUSTRIS  
RUM, ET RE  
cipum ac Ducu  
Princip


Ab Illustris: Prin  
HEINRICO, qui cum  
Primus defuncta mem  
ravit, Anno 1541.  
sunt habita ibiden  
numero nunc

Oblata in obitum luc  
Principissa

SIBYLLA  
Illustrissimi &

ac D  
JOANN  
Ducis Saxoniae, Lan  
Misniae, &c. quondam  
Christum fide anima  
hora 2. Pomeridi  
Fribergae in S  
dato, &

Scripta, à Georg  
Friberg



Y b  
490

